

Et, si quidem communi qualitate colligari prima corpora necessarium uidetur Peripateticis.

Cap. 16.

Et a quæ igitur summam assignantem Aristotelem frigiditatem mirari licet, & summam aeri caliditatem, at multo reor, amplius ignem siccitati dantem, ab altero igitur communi terræ principio ignem constituentem, nam præterquam quod caliditati summæ summa itidem siccitas, aut siccitas omnino ulla, nullo, ut declaratum est, iungi, coireque potest pacto, frigiditatis opus, & propria frigiditatis, & quæ à frigiditate seiungi non potest, nihil igne, puro illo præsertim, sinceroque, humidius ipsi etiam uideri debet Aristoteli, nec terræ dissimile, & contrarium magis. Siccum id, inquit Aristoteles, uidetur, quod ægè alieno, proprio termino optime continetur, & quod nequaquam in sese refugit, ceditque, sed renititur, resistitque, humidum contra alieno pulcherrime, minus belle proprio, & quod in sese refugit, ceditque, & non resistit, & tenuitas, inquit, mollitiesque humiditatis sunt propriae, siccitatis contra crassities, duritiesque, omnium igitur humidissimus ignis, minime omnium proprio aptus contineri termino, alieno omnium aptissimus, & longè omnium tenuissimus ipse, mollissimusque, & cedens maxime, & qui quæcumque penitus superat, uertitque, longè etiam crassissima, durissimaque, & renitentia maxime, in summæ tenuitatis, mollitatisque, & summæ uertit cedentia, in uapores nimirum, fumumque, & flammam, attenuet saltem, emolliatque, & liquefaciat, huiusmodi igitur, ineptioraque reddat proprio contineri termino, & renitentia minus, quæ non penitus superat, uertitque, Nec uerò proprio termino contineri uideatur ignis, quod non diffunditur ascendens, disfluatque, at ueluti in pyramidem coit, qui ad propriam rectè brevissimamque locum, & ad cognata tendens corpora, una eademque tendit uniuersus uia, unitus igitur, nec tamen in orbè, globumque, quod oportebat, si proprio sui natura contineatur termino, neque enim alia partibus danda forma, quam quæ uniuersitatis est propria, at in pyramidem

2. de gen. T.

9. 10. &

13.

dem